JLLUSTRISS: PRINCIPI AC DN. DN.

JOACHIMO.

Duci Lignic: & Breg:

Breviſſ: vitæ ſpatio vehementiſſ: ſymptomatum inſultibus crudeliter afflicto, tandemq; ex cœleſtis Imperatoris immutabili decreto & voluntate

Cum ſummo Celſiſſ: Parentum & Conſangvinitatis Illuſtriſſ; dolore & mœrore

Omniumq; ſubditorum Sympathia maxima & debita IX. Febr: Anno M DC XIII. enecto

De gaudijs in enarrabilibus, quib. beatiſſ: animula in lætiſſ: ſinu ſanctiſſ: Abrahæ fruitur ſubmiſſe & cordicitus gratulatur

Chriſtophorus Rœſsler. D.

CLamat IO populus, cum primùm naſcitur infans
Gratificaq; DEO jubila voce canit.
Dum vitam ducit plerumq; AH clamat in orbe:
Nam raro deſunt cura, pericla, dolor.
Tandem cum præſto eſt extremæ terminus horæ
IMVS & in cœlo continuamus IO.
Sic vitæ humanæ, IOACHIMI, haut nomen ineptè
De pingit curſum: nomini & omen ineſt.